

2. B. V.

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AUGUSTO,
ELECTORATUS SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

DE

METAMORPHOSI
CHRISTIANA,

ex 2. Cor. III. c. 18.

SUB PRÆSIDIO

DN. GOTTLIEB VVERNSDORFI,

SS. Theol. Doct. ejusdemque P. P. ac Alumnorum
Electoralium Ephori,

DOMINI, PATRONI, ET PRÆCEPTORIS SUI
ÆTERNUM DEVENERANDI,

Ex CATHEDRA B. LVTHERI
EDISSERET

Auctor - Respondens,

M. JOHANNES GOTTLIEB HERZOGIUS,
Freiberg. Misn.

Ad d. Maj. MDCCVI.

*N. J.
In 2 Ep: ad Corinth.
371^a*

VITEMBERGÆ,

PRELO CHRISTIANI GERDESII.

Exeg.

C.

352, 10



I. N. 7.



ommentaturo mihi, quod bene ver-
tat Deus, de METAMORPHO-
SI CHRISTIANA, venit in
mentem recordari, Veteres for-
mæ humanæ cum alia commuta-
tionem non modo tradidisse, sed
& exemplis pluribus, diverso ta-
men consilio, illustrasse. Argum-
a Junone in pavonem : Philomelam in lusciniam : Pro-
gnen in hirundinem : Clitien in heliotropium : Syringen
in arundinem : Sorores Phaëthontis in arbores populos :
Cygnum Stheneli filium in avem cognominem : Calli-
sthenem in ursum : Arethusam in fontem : Nioben in
faxum : Archeloum in draconem, mox taurum : alios
in alias formas mutatos fuisse somniabant. Sic milites,
quorum custodiæ Petrum in vincula coniectum Herodes
tradiderat, eo per miraculum liberato, multum inter
se disputabant *τὶ ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο Act. XII, 18.* eun-
demque in nescio quam formam subito mutatum pro-
ripuisse sese ex carcere suspicabantur. Itaque *Parthe-
nius Cbius*, Poeta, imperante Augusto celebris, idem-
que

que Tiberio in deliciis habitus μεταμορφώσεως scripsit, *Plutarcho teste*. Quem quidem in suis μεταμορφώσεων libris P. Ovidium Nasonem imitatum fuisse *Mycillus*, (a) & *Scaliger Senior* (b) observant. Quin &, quod mirum, *Gregorium Neo-Cesareensem, in Ponto Episcopum*, cui ob potestatem edendi miracula Thaumaturgi nomen Veteres tribuerunt, cum sui eum hostes persequerentur, subito conversum esse in arborem, & nemini agnitum perstitisse, eoque modo periculum evasisse, *Nuephorus* (c) narrat. Atque hoc quidem omnino sic evenisse nemini emunctæ naris facile persuadebitur, idque a *Scaligero*, (d) *Longolio*, (e) *Blountio*, (f) & aliis pridem observatum fuisse novimus. Sed nec illud negari potest, veras aliquando historias illis confingendis occasionem dedisse. Unde & quod de Niobe, desiderio filiorum nimio in saxum conversa, Veteres tradunt, plurimum convenire cum eo, quod de Lothi Coniuge in statuam Salis conversa, *Genes. XIX, 26.* legitur, *Rivetus, Pareus*, & alii suspicantur. Plurima tamen haud dubie Poëtæ, qui cum prodesse, tum delectare volunt, studio mores emendandi commenti sunt, qui hunc illumve hominem lapidis saxive naturam, vel etiam bruti animantis indolem quodammodo induisse, &, si non facie ac statura, moribus saltem & factis expressisse indicaturi, eundem in saxum aut marmor, vel feram etiam bestiam conversum fuisse, familiari sibi schemate, tradi-

- (a) *Prefat. in Ovidium de inscriptione libri. pag. 29.* (b) *L. VI. Poetices, qui & Hypercriticus c. VII. pag. m. 794.* (c) *Hist. Eccles. L. VI. 17.* (d) *l. c. L. III. qui & Idea c. 25. p. m. 261.* (e) *Epist. dedicat. Ovidio præfixa edit. Colón. 1542.* (f) *In Censura celebriorum Auctorum p. m. 86.*

derunt. Quicquid vero sit, de illa Gentilibus decantata Metamorphosi: multo & verior, & sanctior, & beatior est, quam 2. Cor. III. v. ult. docet Apostolus. Verba in fontibus hæc sunt:

Ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν Κυρίου κατοπτριζόμενοι, τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφόμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, καθάπερ ἀπὸ Κυρίου πνεύματος.

Versio Erasmi:

Nos autem omnes resecta facie gloriam Domini in speculo repræsentantes, ad eandem imaginem transformamur, a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu.

Osiandri:

Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini tanquam in speculo recipientes, in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domino Spiritu.

Beza:

Nos autem omnes resecta facie gloriam Domini, quasi in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, sicut a Domino Spiritu.

A 3

Seb.

Seb. Schmidii:

Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini introsipientes in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domino Spiritu.

Versio B. Lutheri:

Nun aber spiegelt sich in uns allen des HERRN Klarheit / mit aufgedecktem Angesichte / und wir werden verkläret in dasselbige Bilde / von einer Klarheit zu der andern / als vom Geist des HERRN.

§. I.

Oraculum nostrum nonnulla obscuritate laborare agnoscunt *Matthaeus*, (a) *Seb. Schmidius* (b) & optimi quique Interpretes. Dabimus ergo operam, ut, quæ sese objecerint difficultates, quanta fieri potest, brevitate ac studio evolvamus. Relictis autem omnibus est attendendum ad scopum Apostoli, quem clavem esse intricatissimis quibusque sententiis enodandis, est extra controversiam positum. Varie autem a Doctoribus hoc caput dividitur, cum alii quatuor, alii tres, alii duas illius partes constituent. Illis *Hunnius*: (c)
istis

(a) *In explic. b. l. p. 43.* (b) *Tr. de Imagine DEI Part. I. p. 274.*
(c) *Comment. in b. l. p. 64.*

istis *Rungius*: (a) his *Baldwinus* (b) accedunt. Ceterum prout cujusque partis fines vel ampliati fuerint, vel constricti, ita quoque hanc, illamve sententiam vel admittendam, vel improbandam esse patuerit. Nostro iudicio, scopus Apostoli præcipuus est, Ministerio Mosaico Apostolicum esse anteferendum. Quod ut persvadeat (α) crimen arrogantiae a se removet, viamque sibi ad suas ipsius partes commendandas munit: (β) tum vero efficaciam sui ministerii prædicat: idque (γ) cum natura & indole ministerii Mosaici comparat: (δ) denique & suum ipsius ministerium, & omnes, qui eodem utuntur, multo, quam homines in V. T. feliciores esse, sumpto a beata illa μεταμορφώσει, indubio ministerii Evangelici effectu, argumento concludit. Hinc illa notabilis connectendi particula δὲ: ἡμεῖς δὲ πάντες μεταμορφώμεθα &c. quo doceat, sese afferre sententiam anteceptæ aliorum opinioni contrariam. Judæis enim horumque Doctoribus hucdum persvasum fuisse, Lege Mosaica, & ministerio circa eandem occupato, nihil præstantius, efficacius, luculentius aut constantius esse. Se vero posse plurimum diversa ostendere. Itaque V. & N. T. legem & Evangelium, utriusque Doctores ac socios, perpetuo sibi opponit. Ac quidem I.) *Legem esse ministerium literæ: Evangelium Spiritus docet v. 6. & 8.* Equidem de litera & Spiritu non eadem omnes Interpretes statuunt. *Origenes*, & qui hunc secuti sunt inter Patres, per literam, sensum scripturæ literalem: per Spiritum vero sensum mysticum, seu allegoricum, quem illi fere spirituales nominare solent, intelligunt. Qui error dici non potest, quantas in Ecclesiam tenebras invexerit, quod recte ad h. l. notavit eruditissimus *Hunnilius*.

(a) *Disp. IV. in b. l. p. 659.* (b) *Comment. in b. l. p. m. 591.*

nius. (a) *Fanatici omnes, Anabaptista, Schwenkfeldiani, horumque affecta, Pietista*, per literam occidentem, Verbum Dei scripto comprehensum, vel etiam voce Ministri prædicatum, (id enim *literam* appellant *mortuam*, per quam Deus ad operandam regenerationem, & salutem efficax non sit,) per *Spiritum* arcanos motus Spiritus S. intelligunt, quos sibi ipsi fingunt; & Enthusiasmos atque extraordinarias patefactiones, e quibus salutaris Dei notitia sit perdiscenda. Contra quos vero *Hunnius l. c.* fortiter & egregie disputat. Pontificios inter *Estius ad b. l.* per literam, legem: per Spiritum, Spiritum S. intelligit. *Calvinus* (b) literæ nomine significari putat externam prædicationem, quæ cor non attingat: per Spiritum vero, doctrinam vivam, quæ efficaciter operetur in animis, per gratiam Spiritus. Nimirum quo suum de absoluto decreto dogma, quo Spiritus non semper cum prædicatione verbi conjungitur, nec non distinctionem verbi in internum & externum, eo, quo ipse interpretatur, modo, custodiat. Nostrates vero uti per literam, Legem; ita per Spiritum Evangelium simpliciter intelligunt, utpote *Matthesius, Hunnius, Rungius, Balduinus, Calovius ad b. l. & Seb. Schmidius.* (c) Et recte quidem. Si enim Spiritus vel foret sensus mysticus, vel interior Spiritus revelatio, non minus ad vetus, quam novum Testamentum, imo magis ad illud, quam ad hoc ob multitudinem umbrarum, & varietatem patefactionum Patriarchis & Prophetis factarum, pertineret. Quod tamen negat h. l. Apostolus. *Litera vers. 7.* dicitur lapidibus insculpta: & Moses Minister ejus: ipsa vero *Vetus T. v. 14.* appellatur. Omnes denique effectus, qui hoc capite tribuuntur Literæ, effectus sunt legis. Porro, Li-
tera

(a) p. 72. (b) in *Comment. ad b. l.* (c) in *Coll. Bibl. II. p. 200. f.*

tera & Spiritus ita sibi invicem ab Apostolo opponuntur, ut litera nunquam sit Spiritus: & Spiritus nunquam sit litera. Atqui supra ostendimus, quod litera lex sit. Unde ultro sequitur, quod Spiritus nunquam sit lex, uti nunquam est litera. Spiritus vero est Evangelium. Unde sequitur, quod Evangelium nunquam sit litera, sicut nunquam est lex: imo quia nunquam est litera, etiam nunquam est lex. Evangelium vero dicitur Spiritus, quia nobis conciliat Spiritum S., per quem sine operibus legis, & meritis nostris omnia, quæ in Evangelio offeruntur, nobisque ad sanctitatem & salutem sunt necessaria, dantur, ita, ut e carnalibus fiamus spirituales. Vid. omnino *Seb. Schmidius*. (a)

§ II. Deinceps 2) *Apostolus legem nominat Ministerium Mortis: Evangelium ministerium vitæ c. 7.* Illud quidem quatuor de causis (α) Quia lex, si non recte intelligitur, justitiæ quidem spem facit, attamen animos interficit. (β) Etiam si intelligatur, homines ad desperationem perducit. (γ) Lex illos rigide punit, quos Evangelium absolvit. (δ) Peccatum non tollit, sed ejus desiderium auget, ut loquitur *Balduinus*. (b) Evangelium vero dicitur Ministerium vitæ, quia *accepto per Evangelium Spiritu, pro peccato justitia, pro morte vita, pro tenebris lumen, pro ignorantia Dei, scientia potentia & bonitatis ejus confertur*, ut rotunde rem explicat *Melanchthon*. (c) Conf. etiam *Hunnius, Rungius, Calovius*, in suis quisque Commentariis. Amplius 3) *Legem describit ut ministerium condemnationis; Evangelium vero ceu ministerium justitiæ c. 9.* quia nempe lex aperit, accusat, & damnat injustitiam hominum: Evangelium

B

um

(a) *l. c. p. 202.* (b) *ad b. l. f. 600. a.* (c) *In annotationibus suis ad b. l. p. 128.*

um vero iustitiam Christi prædicat, & fidem in nobis accendit, per quam illa nobis imputatur. Vid. denuo *Baldwinus*. (a) Porro 4) *Lex lapidibus insculpta: Evangelium vero cordibus inscriptum esse dicitur c. 7.* Quamquam enim posteriorem hanc ἀντιθέσεως partem non exprimit, legentium tamen animis cogitandam relinquit, iudicio *Hunnii*. (b) Ac prius quidem illud, de lege lapidibus insculpta, ex *Exod. XXXI. XXXII.* satis constat. Posterius autem probat *Apostolus Corinthiorum* exemplo, quorum cœtum hac ipsa de causa *Epistolam Christi* nominat, c. 3. quia cordibus eorum inscripta erat salutaris Evangelii doctrina. Quemadmodum enim ad exarandas literas concurrunt auctor, amanuenses, atramentum & calamus, charta denique & argumentum, quod scribitur; ita & in *Corinthiis* ad fidem perducendis hæc omnia concurrerant, auctor *J. Christus*: amanuenses *Apostoli*: calamus, virtus *Spiritus S.*: charta, carnea cordis tabula: *Materiam* vero, seu argumentum *Epistolæ*, tanquam notum non exprimit *Apostolus*, intelligens nempe veram, & salvificam agnitionem *Christi Salvatoris nostri*, & interiorem mentis, inferentem novas virtutes, inchoantem novam obedientiam Deo placentem, ut *B. Rungius* (c) loquitur. Respicit autem hoc ipso divinam promissionem *Jer. XXXI, 33.* dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. His enim verbis Evangelium respici ex locis *Hebr. VIII, 10. & 8, 16.* in quibus ad *N. T.* tempora applicantur, liquido constat.

§. III. Tum vero 5) *legem abrogatam: Evangelium vero æternum esse docet c. 7. 11. 13.* Ac legem quidem *Ceremonialem & Forensẽ* omnino abolitam esse ex *Scripturis* ostendit *B. Chemnitius*. (d) Quod vero ad *Moralem*,
ea

(a) *l. c. pag. 601. a.* (b) *ad b. l. pag. 78.* (c) *Disp. IV. pag. 661.*
(d) *Part. II. LL. de Lege Dei. c. V. f. 40-45.*

ea est abrogata non per fidem, quippe per quam stabilitur *Rom. III, 31.* id quod more suo, i. e. solidissime, deducit B. *J. B. Carpzovius, Sen.* (a) nec quoad *doctrinam*, nec quoad *obedientiam*: secundum *banc* enim est æterna, & immutabilis regula, in mente divina, præcipiens, quid fieri, quidque omitti ab hominibus debeat; sed respectu *credentium*, quoad justificationem *Gal. III, 21.* maledictionem *Gal. III, 13.* rigorosam exactionem *Gal. V, 18.* verbo: non quoad *substantiam*, sed quoad *accidentia*. Quo de eleganter *Mattbesius*: (b) Das Gesetz ist darum gegeben worden / daß man dadurch Busse predige / und die Sünde und Gottes Zorn erkenne. Wenn das Gesetz solches hat ausgerichtet / und Christus kömmt mit seinem Blute und Geiste in ein gläubiges Herze / so wird denn des Gesetzes Amt abgethan und verlöschet / und wir werden von dem Fluche des Gesetzes erlöset / aber die Verpflichtung und der neue Gehorsam bleibet auch in denen Befehrten / und Widergebohrnen / und Geheiligten. Conf. B. *Cheimnitius*, (c) *Melanchthon*, (d) *Rungius*. (e) Evangelium vero æternum, & est, & appellatur *Apocal. XIV, 6.* quia α) æternum Deum auctorem habet *Jes. XL, 28.* *1. Tim. I, 17.* β) Christum æternum prædicat, *Prov. VIII, 22.* *Micb. V, 2.* *Apoc. I, 8.* γ) vitam æternam credentibus promittit, *Johan. III, 16.* *X, 28.* δ) cum beneficiis suis æternum durat. Vid. *Hunnius*. (f)

§. IV. Postremo 6) *Lex* sistitur ab Apostolo, *ut compare obscura c. 10. 13.* *Evangelium* vero, *ut omnino clarum & perspicuum c. 8. 9. 12.* Equidem & sua legi tribuitur claritas *c. 7. 9. 10. 11.* eademque sese *tum* per gloriosam & Majestatis plenam illius promulgationem *Exod. XIX, XX. tum*
B 2
vero

- (a) *In Isagog. ad LL. Symbol. p. 276.* (b) *In Explic. b. l. p. 38. f. b.*
 (c) *l. c. p. 46. ff.* (d) *De libertate Christian. LL. Theol. p. 644.*
 (e) *Ad b. l. Disp. IV. p. 670. f.* (f) *l. c. p. 80.*

vero singularem faciei Mosaicæ coruscationem satis se prodidit *Exod. XXXIV, 29*. At vero exigua isthæc est, ac prope nulla, claritas, si comparetur cum gloria Evangelii. Quod ipsum graviter copioseque explicat *Baldwinus*: (a) *Fere nullam, inquit, habere videtur lex gloriam, etiam in splendore suo illustrissimo, si conferatur ad doctrinam Evangelii. Illa enim gloria in corusca facie Mosis consistebat: Hæc vero spiritualis est, effulgens, partim per miracula Christi, quibus doctrina ejus, in universo orbe terrarum, passim incla-ruit: partim per admirabilem conversionem hominum, quam doctrina legis præstare non potuit. Illa Christum Dei filium declarabat variis argumentis & visionibus: Hæc in carne manifestavit, ex qua gloria filii Dei emicuit, tanquam unigeniti a Patre. Illa filium hominis quoque quasi eminus monstravit: hæc constitutum ad dextram Patris in cælestibus super omnem principatum & potestatem cominus ostendit. Si in corporali etiam splendore aliqua præ eminentia quærenda est: hic sane longe excellentior est splendor, qui ex amicabili vultus gratia in Christo emicabat, hominesque etiam alioquin timidos & consternatos ad se alliciebat, cum vicissim splendor faciei Mosaicæ terribilis esset, hominesque a se fugaret. Hactenus Baldwinus. Quibus & illud adjicio: Legem obscuram & tectam esse, non ratione sui, sed ratione hominum, perinde ut Evangelium, 2. Cor. IV, 3. quippe quorum cordibus velamen est impositum, non modo ob naturalem, sed etiam affectatam cæcitatem. Vid. omnino Flacius.* (b) Quod ipsum, quoniam virtute Evangelii a credentibus remove- tur, patet Evangelium multo esse, quam legem, clarius, ut quod non modo amplectentium oculos aperit, sed & eosdem per beatam quandam Metamorphosin ita immutat, ut apti sint ab una gloria transferendi ad alteram.

§. V.

(a) *Ad b. l. f. 601. a.* (b) *P. I. Clav. Script. S. Tract. VI.*

§. V. In hac vero studiosius exponenda I.) initio notamus METAMORΦΩΣΕΩΣ SUBJECTUM, seu, quinam sint transformati, quos insinuat τῶ ἡμεῖς, *Nos transformamur.* Quinam significantur hac voce, non eadem est Interpretum sententia. *Junius & Tremellius* (a) *proprie hic agere Paulum de Ministris Evangelii statuunt, id quod ex præcedentibus & sequentibus constet. Neque vero id audemus negare simpliciter, consideratis cap. III, 3. 6. IV, 1. 3. 5.* Hoc unum adjicimus, nostro iudicio, *primario doctores, secundario Christianos omnes, intelligi oportere. Quod utrumque probamus. Prius quidem, quia (1) totus in eo est Apostolus, ut ministerium suum collaudet, Mosaicoque anteferat. (2) Quia Ministros Evangelii imprimis decet in gloriam Christi, velut in speculum aliquod, intueri. (3) Quemadmodum h. l. Judæorum nomine præcipue illorum Magistri (hi enim & præ reliquis Mosen legunt, & præ reliquis ve-latam faciem legentes habent;) sic intuentium nomine cum primis, & primario, eorum doctores intelliguntur. Posterius autem, quia (α) *propalam de omnibus loquitur: ἡμεῖς πάντες. (β) De hujusmodi κατοπτριζόμενοις, qui opponuntur Judæis non credentibus. His autem non modo Ministri Ecclesiæ, sed & Christiani reliqui contradistingvuntur. (γ) De tali μεταμορφώσει, quæ cadit in omnes promiscue Christianos. Soli proinde ministri Ecclesiæ, & Apostoli non sunt transmutandi, sed omnes per veram in Christum fidem conversi. Consentit B. Gvil. Lyserus in Syst. p. 1519.**

§. VI. QUALES autem sunt illi transmutandi? ἀνακαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν Κυρίου κατοπτριζόμενοι:

B 3

re-

(a) *In Notis ad versionem suam. p. 311.*

resecta facie gloriam Domini intuentes. Attendamus hic ad modum: ad objectum: ad actum intuenti. MODUS continetur his verbis: ἀνακαλυμμένω προσώπω, *resecta facie.* Τὸ πρόσωπον multifariam accipitur in Scripturis. Nunc *cælo*, nunc *terra*, nunc *herbis*, nunc *hominibus*, nunc *ipsi Deo* tribuitur, de quibus videantur *Flacius*, *Glasius*, *Ravanellus*, & *alii*, nec enim licet nobis in his esse prolixioribus. In id operæ pretium est inquirere: *Christi, an Christianorum b. l. intelligenda sit facies?* Prius illud probatum fuit *Calvino*: *Posterius Nostris*: utrumque *Arezio* in *Comment. ad b. l. Calvinus* putat *velatam* Mosis: & *revelatam* Christi faciem sibi opponi. Legem enim esse obscuriorem: Evangelium magis perspicuum. Sed minime placet sententia. Neque enim nostro in comitate Christus Mosis, sed Christiani Judæis opponuntur. Et, si Christi faciem intellexit Apostolus, cur non planius dixit: ἀνακαλυμμένω κυρίῳ προσώπω τὴν δόξαν αὐτοῦ κατοπτριζόμενοι? Ad hæc ἀνακαλύπτειν notat *remotionem velaminis.* Christi autem facies ubi quæso *velata* legitur? Nam quod nonnulli dicunt: *tectam* eam esse in *Lege*: *resectam* in *Evangelio*: id parum ad rem est. Nullibi enim *lex ipsa tecta* legitur, ne nostro quidem in capite: sed *Lectorum corda*, quia sunt occæcata: Nec *velamen* super *V. T. lecto* manet, sed super *legentibus Vetus T.* siquidem in hunc usque diem, *quum legitur Moses*, *velamen cordibus illorum impositum est c. 14. 15.* Et quemadmodum *facies Mosis*, *inspicientibus*, *ob velamen*, fuit *obscura*, *in se* vero *clarissima*; ita & *lata* per *Mosen* *lex in se* est *clara*, etsi per *accidens aliis* fit *tecta*. Ergo nec *Christi facies tecta* esse in *lege* dici potest. Ubi vero nulla *κάλυψις*, ibi nec aliqua *ἀνακάλυψις*. Addo: *δόξαν κυρίου*, *gloriam Domini h. l.* eandem esse cum *facie*, quod

quod

quod mox videbimus. Si proinde etiam τὸ πρόσωπον referatur ad Dominum, talis emerget sententia: *Nunc igitur faciem Domini, resecta facie Domini, quasi per speculum intuemur.* Ineptum. Facies ergo non Christi, sed Christianorum intelligitur, & verba: ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ, sunt conjungenda cum verbo κοιτοπτιζόμενοι, hoc sensu: *Nos intuemur ita, ut facies nostra sit resecta.* Notat autem τὸ πρόσωπον h. l. Christianis tributum, non faciem corporis, quippe quæ cooperta non est, nec dici resecta potest; sed cordis & mentis, quæ velamine quodam cœcitatatis, & ignorantiae involuta, Spiritus S. gratia, ab eo liberatur. Causam locutionis improprie eleganter exponit Seb. Schmidius: (a) *Vocat Apostolus, inquit, cor nostrum faciem, ex typo voce transumpta, & ad antiypum accommodata. Figura hæc atque Symbolum hoc erat. Moses quando a sermone & conspectu Jehovæ ad Israelitas reversus est, deprehensa est facies corporis illius ita splendescere, ut populus non posset illæsis oculis aspicere Mosis splendens faciem. Ubi duæ facies sibi invicem sunt oppositæ, facies Mosis aspicienda, & facies populi aspiciens. Ad hæc cum illius splendorem ferre non posset, velamen Moses faciei suæ imponere coactus est, ut splendor non lederet aciem oculorum populi. Hanc figuram, si juxta Paulum resolvimus: facies Mosis est lex sive Vet. Test. introspicendum; facies autem populi est cor, seu vires mentis, intelligendi & faciendi legem, sive ea, quæ in Vet. Test. continentur. Hinc apparet, quare & quo respectu hominibus facies tribuatur respectu spiritualium. Ceterum ista facies aspiciens est plane improporcionata ad faciem spiritualium splendens introspicendam. Ad hoc significandum velamen faciei Mosis impositum est, indicans, quod cœcitas*

cor

(a) l. c. Part. I. c. XIV. pag. 273. 274.

cordis humani impediatur, quo minus introspiciantur spiritualia, & finis obtineatur, ut adeo spiritualia velata maneant hominibus in viribus natura relictis. Haec tenus Schmidius. Ceterum haec ipsa cordis mentisque facies dicitur h. l. *revelata*. Vox ἀνακαλίπτειν, quod ipsa compositio arguit, duo involvit, nempe & *velationem* & *revelationem*, seu ut clarius loquar, *velaminis impositionem*, *impositique remotio- nem*. Καλύμμα vero, seu operculum & velamen bifariam sumitur: nunc *proprie*, cujusmodi erat Moysi, *Exod. XXXIV, 34.* nunc *improprie* & *metaphorice*, quo pacto generatim notat *cæcitatem* mentis, vel ea, per quæ impeditur suis in operationibus intellectus, & per intellectum voluntas. Ut enim *facies* h. l. significat *vires mentis*, & *voluntatis* Legem intelligendi, & servandi; ita *velamen* faciei impositum notat *defectum* virium istarum. Nam quemadmodum velamen aliquod naturale, proprieque sic dictum, ubi faciei imponitur, oculos quoque operit, eoque hominem in videndo, prospiciendoque, ac operando impedit; ita & impedimenta intellectui injecta, vel etiam connata ejusdem imbecillitas efficit, ne intelligatur Scriptura. Est autem denuo *hoc ipsum velamen duplex*, aliud *connatum* & *simplex*: aliud *affectatum*, & *prohereticum*. *Illud* effectus est peccati originarii, per quod vim intelligendi in homine admodum diminutam, luminique congenito plurimum detractum fuisse constat. Est igitur omnibus hominibus commune, Judæis juxta & Græcis, Christianis, non-Christianis, positaque hominis post lapsum totali corruptione *inevitabile*. *Animalis enim homo non percipit ea, & δέχεται, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur, 1. Cor. II, 14.* *Affectatum* vero & *voluntarium* non omnibus hominibus est commune, sed a quibusdam propria cul-

cul-

culpa attrahitur, adeoque est *evitabile*. Utrumque h. l. Judæis tribuitur, quando facies illorum obteſta eſſe dicitur. Primo enim *naturaliter* ſunt coeci, & tenebris involuti, ob inopiam virium intelligendi, & aſſequendi myſteria divina, & ſenſum legis Moſaicæ. Tum vero & *per malitiam* ſunt cœci, in quantum non modo mentis cœcitate laborant, ſed & ab eadem liberari reſuſant, eandemque, ad interpretationem Scripturæ, præjudicatas ſententias, de expectando adhuc Meſſia, & homine per legem juſtificando, afferentes, adaugent, ita, ut *auribus audiant, & non intelligant, videntes videant, & non cernant* Matth. XII, 14. Interim prius illud, nempe *naturale velamen* & auferri poteſt, & reiſa aliquando auferitur, ab omnibus, qui convertuntur, fidemque in CHRISTUM concipiunt. *Ubi enim converſus fuerit Israel, tolletur velamen c. 16.* Itaque ſibi, & Chriſtianis omnibus, tribuit ἀνακεκαλυμμένον πρόσωπον five reſectam faciem, quia naturalem ſibi cœcitatē, quæ intuitionem in gloriam Domini alioqui erat impeditura, per Evangelium detrahi paſſi fuerint, ita, ut clare jam intelligant, quænam ſit coram DEI juſticia conſiſtens *juſticia*, quæ item DEO accepta vitæ *ſanctitas*. Rem illuſtremus exemplo. Cum Deus in verbo legis homini pollicetur *vitam*, claritas eſt. Teſtatur enim de ejus bonitate. Et vero quid hac voce jucundius? quando autem hæc ipſa *vita promiſſio* ſuſpēditur a *conditione perfectæ obedientiæ legi præſtita*, dicendo: *Fac hoc, & vires*: tegitur illa claritas. Nec enim Dei ſententia eſt, quod homo, ſuis ipſius operibus, vitam ſibi conciliare: ſed quod imbecillitatem ſuam agnoſcere, & de alio quodam *medio* vivendi diſpicere debeat.

C

Quan-

Quando igitur in Evangelio Christus dicit: *Qui in me credit, is vivet*: tum intuemur claritatem Dei, facie re-
fecta, ita, ut voluntatem Dei, & sententiam prorsus pe-
netremus & assequamur.

§. VII. De *Modo* intuendi constat: nunc 2) videa-
mus *OBJECTUM*, quod *δόξαν Κυρίως* appellat Apосто-
lus. *Rungius* (a) per hanc intelligit *CHRISTUM ipsum*,
qui fit gloria æterni patris. Magis pie, quam recte.
Δόξα enim h. l. commodissime redditur *per Majestatem*
& gloriam. Hæc ipsa vero consistit in complexu pluri-
um attributorum divinorum, utpote *gratie, bonitatis, ju-*
stitiæ, sapientiæ, sanctitatis, aliorumque, quorum cognitione
& gloria Numinis amplificatur, & salus humani generis
procuratur. Dixeris: *Hæc δόξα quomodo faciei Moysis re-*
splendescenti opponitur? Respondeo: Sæpenumero attri-
buita divina, faciei nomine, veniunt in scriptura, nec
quicquam aliud, cum Deus *faciem suam avertere, conver-*
tere, ponere dicitur, indicatur, quam quod hinc *iram*, hinc
gratiam, hinc *severissimam ultionem* ostendat. Et quemad-
modum in homine facies non modo est sedes exeren-
tium sese affectuum, amoris, iræ, gratiæ, sed & digni-
tatis ipsius ac Majestatis; ita & incomprehensibilis Dei
Majestas diserte dicitur facies Domini, *Exod. XXXIII, 18.*
20. 22. Jesh. XLII, 8. Quando igitur h. l. dicimur intueri
gloriam Dei, idem est, ac si scripsisset Apostolus: faciem
Dei nos intueri. Mox enim ad eandem dicimur *imagi-*
nem transformari, quam antea videramus in speculo.
Hæc vero, quid aliud est, quam facies? *Facies nempe sa-*
pient-

(a) *Disp. IV. in b. l. pag. 672.*

pietatis, bonitatis, justitiae, gratiae, quæ alias appellatur gloria & Majestas. Cujus vero est illa gloria, vel gloriosa facies? τὸ Κεῖς, Domini, hoc est, Christi. Hic enim sigillatim dicitur Dominus, 1. Cor. VIII, 6. Job. XIII, 13. 1. Cor. XII, 3. Huius imprimis faciem & gloriam in Scriptura, velut in speculo, videmus, Job. V, 39. XX, ult. Act. X, 43. Uti enim speculum & faciem hominis, & earum, quæ a tergo sunt, imagines exhibet; ita verbum Dei primo per Legem nostram nobis faciem peccatis deformatam; deinceps vero per Evangelium, alienam nobis imaginem, nempe Christi Servatoris justitiam & sanctitatem sistit. Hic enim in scriptura nobis κατ' ὀφθαλμὸς προεγράφη Gal. III, 1. seu ob oculos graphice est depictus. Προεγράφη quoad satisfactionem & meritum, siquidem in Evangelio nobis sistitur, ut in gratiam gereris humani conceptus, natus, passus, crucifixus, mortuus & sepultus. Προεγράφη qua sanctitatem & vitam. Christus enim afflictus est pro nobis, relinquens nobis ὑπογραμμὸν, exemplum, ut insequeremur vestigia ipsius: qui peccatum non fecerat, nec inventus est dolus in ore illius: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui justitiæ viveremus. 1. Petr. II, 21. seq. Hæc est illa facies Domini gloriosa, ad quam per fidem sumus transformandi.

§. VIII. Vidimus etiam *Objectum*: addamus 3) *ACTUM INTUITIONIS*, quem insinuat verbum κατ' ὀπτεζόμενοι, quod non eodem modo reddunt Interpretes. *Vulgatus*, quem *Lyra*, aliique secuti sunt, translulit: *Speculantes*. Cui illud *Augustini* (a) opponimus:

C 2

Satis

(a) Tom. III. OO. L. XV. c. 8. de Trinitat. pag. 321.

Satis apparet Apostolum a speculo, non a specula dixisse, gloriam Domini specularantes. Erasmus reddidit: in speculo representantes, quem refellit Cornel. a Lapide: (a) Vox, inquit, græca proprie significat in speculo intueri, non autem representare: nam de representatione hæc subdit, cum ait: in eandem imaginem transformamur, d. cum DEI gloriam in Christo, ejusque Evangelio, quasi in speculo intuemur, per hoc quasi in eandem Dei gloriam transformamur, eamque in nobis representamus: Speculum ergo hoc, & speculatio causa est representationis, non ipsa representatio. Hactenus ille. Alexand. Morus (b) reddidit: Excipientes tanquam totidem specula: Addit: Nam qui contemplantur in speculo; non transformantur in objectum; sed magis transformare videntur speculum in imaginem suam. At Plutarchus dixit solem sic efficere Iridem, ut ex adverso radiorum ejus stet semper nubes illa densa, quam intuetur tanquam in speculo; Ubi Anaxagora sententiam recitat: καταντικρὺ τῆ κατοπτρίζοντος αὐτὴν αἰθέρος διαπαντός ἴσασθαι. (c) Facere cum Moro videtur B. Lyserus in System. pag. 1519. Lutherus aliquando sic transtulit: Nun schauen wir alle des HErrn Klarheit / mit aufgedecktem Angesichte / als in einem Spiegel: Mox ita: Nun spiegelt sich in uns allen des HErrn Klarheit / mit aufgedecktem Angesichte. Per speculum enim Divus ille intellexit cor nostrum, quod nota margini adjecta docet. Consentit hac in parte Matthæsius: (d) Unsere Spiegel / inquit, sind uns ähnlich / aber hier werden wir diesem Spiegel ähnlich / und Christus wird in uns als

(a) *Ad b. l. f. 350.* (b) *In Notis ad N. T. p. 371.* (c) *De Placitis Philosophorum L. III. c. 5.* (d) *l. c. p. 44. a.*

als in einem Spiegel formiret. Uterque non modo ad τὸ κατοπτριζόμενοι, sed etiam τὸ μεταμορφόμεθα respexisse videntur. Atque id quidem verum est, corda nostra posse comparari cum speculis. Uti enim hæc solem, solisque radios excipiunt; sic pectora nostra Christum, justitiæ solem *Mal. IV, 2.* admittunt, & gratiæ, bonitatis, sapientiæque radiis refulgent. Ut speculum formam hominis pulcherrimam; sic corda nostra Jesum, formosissimum inter homines, *Pf. XLV, 3.* exhibent. Interim τὸ κατοπτριζόμενοι *rectius* vertitur: Nun schauet wir/ als in einem Spiegel. Hoc enim proprie significat, ut apud *Laertium in Socrate*: ἡξίς νέος συνεχῶς κατοπτριζέσθαι, hortabatur adolescentes, ut sæpe in speculum intuerentur. Neque enim corda nostra ullibi in S. literis, sed verbum Dei cum speculo comparatur *1. Cor. XIII, 12.* Quid multa? Ipsa vis & origo verbi id postulat, ut reddatur: *velut in speculo intuentes.* Est enim ἀπὸ τῆς κατοπτρῆς, quod speculum notat, & non raro sensu improprio a Scriptoribus usurpatur. *Thessalus Orat. ad Athenienses*, εἰς ἑτέρας δὲ οἱ ἐς κάτοπτρον βλέψαντες, ἴδετε ἂν τοι ἅ ποιέετε. Et *Aphrodisiensis*: τῆς ὀφθαλμῆς τῆς ψυχῆς κάτοπτρον εἶναι dixit. Hujus loco ἑσοπτρον legitur in Scriptura, quod notat partim *speculum naturale Jac. I, 23.* partim *metaphorice sic dictum & supernaturale*, ut *1. Cor. XIII, 12.* quo loco inspectio in speculum notat imperfectam mysteriorum divinorum cognitionem. Uti enim imperfecte res corporeas aspiciunt, qui earum imagines in speculo intuentur; sic in hac vita tenuem quandam Dei, & divinorum mysteriorum cognitionem habemus ex revelato verbo, si ad perfectissimam illam vitæ æternæ sapientiam conferatur, scribit

Glasius. (a) Et κατόπτρον quidem, quod dicimur intueri, est varium. Primo est 1) *Naturale*, seu mundus aspectabilis, & omnia, quæ in eo sunt. Deprehendimus enim in eodem omnia præclare condita, sapienter disposita, pulcherrime exornata, potentissimeque huc dum conservata fuisse. Resplendet in hoc speculo gloria Domini, i. e. bonitas, sapientia, potentia, & reliqua attributa, quæ in se quidem ἀόρατα per conspectum creaturarum, quibus eorundem velut vestigia quædam impressa sunt, fiunt νοσόμενα. Ubi enim intuemur immanem hanc cæli terræque machinam, vastissimæque in ea corpora, resplendescit Dei gloria per *potentiam*. Ubi attendimus ad Solis, lunæ & reliquorum siderum constantem, perpetuumque motum, vicissitudines tempestatum, varietatem climatum, aptamque rerum omnium dispositionem, relucet Dei gloria per *sapientiam*. Ubi omnia propter hominem, hominem propter Deum, conditum esse discimus, exerit se Dei gloria per bonitatem, & *gratiam*. Ubi & bonis proponi præmia: & de malis summi supplicia videmus, prodit se Dei gloria per *justitiam*. Sic igitur hoc universum nihil est aliud, quam *Speculum*, in quo gloriam, seu faciem Dei, velut relucentem quandam imaginem conspiciamus cerni, & admiramur. Est 2) speculum aliquod *Symbolare*, quando sese Deus & olim sub certis Symbolis, & hodie in Sacramentis, suo quodam modo, videndum præbet. Quid enim rubus ardens, columna Nubis tempore Moïsis: quid aura sva-vis lenior tempore Eliæ, quid species columbina tempore Christi, aliaque id genus aliud erant, quam speculum

(a) *In Phil. S. Rhetor. S. Tract. I. c. 13. pag. 1341. f.*

lum aliquod τῆ Θεῶ ἀοράτης? Quando enim vel Moses rubum, vel Israelitæ columnam intuebantur, Dei ipsius imaginem videbant. Itaque apparente columna in ostio tabernaculi, gloria Domini apparuisse dicitur *Num. XVI, 19.* eademque præeunte facies Domini monstrare viam dicebatur, *Exod. XXXIII, 14.* Interim κώτοπτρον erat, & speculum, quo non ipsa Numinis substantia, sed quædam substantiæ imago, quasi que umbra exhibebatur. Multo autem clarius videmus sub *Symbolis Sacramentalibus*, sub quibus tota SS. Trinitas, imprimisque Christi Mediatoris caro & sanguis, tam vere & quoad substantiam adsunt, quam vere ipsa Symbola videntur ac dispensantur. Denique (3) est Speculum *verbale seu Scriptura*, quod omnium est præstantissimum. Uti enim α) speculum pellucidum est, & perspicuum; ita verbum Dei lucerna est *Psal. CXIX, 105.* & Evangelium lumen clarissimum *2. Cor. IV, 4.* β) Uti speculum faciem hominis, qua omnia sui lineamenta, exactissime repræsentat; sic etiam verbum faciem, five gloriam Domini, i. e. essentiam, voluntatem, attributa & beneficia omnia, imprimisque Evangelium Christum quoad personam, naturas, statum, officia exactissime sistit. Uti γ) quod *Hunnius* (a) observat, qui *introspectit in speculum, videt sane, qua a tergo in conclavi, quippe per speculum representata introspectienti, nec tamen ea cernit tam liquido, quam si aversus a speculo jam defigat oculos in res ipsas, prius a tergo positas, & facietenus eas contempletur; Sic in verbo Evangelii, viso per fidem Filio, videmus & Patrem Joh. XIV. sed in hac vita nondum a fa-*
cie

(a) l. c. pag. 91.

cie ad faciem. Quomodo igitur? nimirum a tergo, ut Mo-
 si dixit Dominus: introsipientes quippe in verbum Evangelii,
 videmus gloriam bonitatis DEI. Hactenus ille. Præclare
 de hoc triplici speculo in suo de morte & vita æterna
 Commentario B. David Chytraeus: (a) In hac, inquit, vi-
 ta etiam aliqua ex parte DEUM agnoscimus, & videmus, ex
 conditione mundi, animadverso ordine operum, invisibilem &
 æternam ipsius potentiam & voluntatem DEI, Dominum no-
 strum Jesum Christum, essentiam & voluntatem DEI in Ev-
 angelio nobis revelantem, sed verbo & Sacramentis velut nu-
 be involutum, sicut Israelitis in nube & columna ignis, Aa-
 roni in nube super propitiatorium, Patribus specie naturæ
 humanæ a se postea assumendæ, Ezechieli, Danieli, Joanni
 Evangelistæ visionibus, Joanni Baptistæ ad Jordanem, æter-
 nus Pater, voce de coelo sonante, Filius indutus forma natu-
 ræ humanæ, Spiritus S. specie columnæ, seu columbæ, & alias
 aliter se manifestavit, & videndum seu cognoscendum aliquo
 modo exhibuit: non sicut sibi est, secundum essentiam, sed sic-
 ut nobis est, secundum gratiam, Deus noster & salus nostra.
 Multo enim imbecillior est hæc natura, peccato corrupta, quam
 ut resectam & nudam Dei essentiam & Majestatem ac splen-
 dorem gloriæ divinæ intueri & perferre possit, (ut Exod. XXXIII.
 Mosi petenti, ostende mihi gloriam tuam, respondet Deus:
 Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me ho-
 mo & vivet) cum ne solis quidem fulgorem, infinitis modis
 Deo inferiorem, acie oculorum sustinere queat. Videmus igitur
 in hac vita essentiam & voluntatem Dei, ut solis lucem, per
 nubes apparentem. Dixeris: quale vero tandem h. l. intelligen-
 tur Speculum? Respondeo: Scripturæ, seu verbale. De tali
 enim

(a) pag. 156.

enim Speculo sermo est, in quo apparet Christi Servatoris gloria, vel facies, & εἰκὼν, ad quam transformamur: quod neque de naturali, nec symbolari, commode dici potest. Hanc igitur tanquam in speculo intuemur, non obiter & perfunctorie, quemadmodum ipsamet Christi faciem Pilatus, Herodes, reliqui, videbant, sed sollicite & constanter, intentis defixisque in illam imaginem oculis. Præclare hanc in rem *Flacius in Glossa*: Duplex, inquit, est veluti actio speculum considerantis; altera, ut nos, quales simus, inde cognoscamus, hoc nobis lex præstat, altera, ut illam expressam picturam in speculo, cum quadam oblectatione, contemplemur & admiremur: hoc fide facimus, considerando in speculo Evangelii Christum, & in eo expressum faventissimum vultum Patris supra nos illuminatum. Scilicet omne Dei verbum, sive tota S. Scriptura, utriusque fœderis, est κάτοπτρον & speculum, ad quod omnibus singulisque est respectandum, nec datur eatenus inter Judæos & Christianos discrimen. Illi enim intuentur: Nos pariter intuemur. In hoc autem discrimen residet, quod illi velata facie intuentur, nos resecta & non-velata; Illi enim sunt increduli & non-conversi: nos credentes, & per fidem ad Deum conversi. Egregie *Rungius ad b. l. Judæi*, inquit, *tectam Moysi faciem intuebantur, ipsi nibilo meliores ab ipso facti, sed magis excoecati: sed nos resecta facie, tanquam liberati a servitute, sublatoque velamine tenebrarum, intuemur, non faciem Moysi, sed δόξαν κυρίου, h. e. Christum Jesum. Hac contemplatio imaginis Dei fit ardenti fide & apprehensione mediatoris. Hac nihil acutius, nihil ad pervidendam Christi gloriam, & nos ipsos mutandos accommodatius est. Beati quidem fuerunt, qui Christum & viderunt, &*

D

credi-

crediderunt, Luc. X, 23. Beatissimi, qui vident, nec amplius credunt in regno gloria 1. Cor. XIII, 12. Beatiores tamen, qui utut non videant, tamen credunt. Nam ὁ λόγος ἀπαραιλόγιστος, ἢ δὲ αἰσθησις ἐυεξαπείτητος, scribit Chrysostomus. (a)
 Hæc de Subjecto Transformationis sive metamorphoseos:
 Nunc de prædicato sive actū.

§. IX. *Actus Metamorphoseos, his verbis exprimitur: τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφώμεθα, ad eandem imaginem transformamur. Μεταμορφώσθαι est ἀπὸ τῆς μορφῆς, quæ quid sit, varie disputatum est inter Scriptores Græcos & Latinos, veteres & recentes. Bellarminus (b) negat vocem μορφῆς, usquam in Scriptura accipi pro forma exteriori, sive pro opere, ut pateat percurrenti loca. Sed percurrentes loca facile deprehendunt contrarium. Nam Marci XVI, 12. dicitur Christus ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, in alia effigie, ut reddidit Augustinus, (c) nempe quam habuerat, cum viatoris specie jungeret sese discipulis Emaunticis. Idem Servator Phil. II, 7. dicitur fuisse ἐν μορφῇ τῆς Θεῶ. Quæ formula non ipsam Dei essentiam, sed statum divinum gloriosum, plenariumque Majestatis exercitium, adeoque aliquid essentiae superadditum, notat. Negat id quidem, sua pro impudentia, Petersenius im Geheimniß: Christus in uns / contra Bücherum, &, vel ex ipso textu contrarium se posse ostendere, opinatur: Es ist falsch / inquit, daß / wie Herr Bücher schreibet / das Wort μορφῆσθαι allezeit in der heiligen Schrift die Bedeutung einer äusserlichen Gestalt / die nicht zum Wesen selbst gehöret / habe und ausdrücke / welches eben aus dem Ort Phil. II. den er für sich anführet / gegen ihn mit Nachdruck kan gebrauz*

(a) *Hom. 83. in Matth. (b) L. I. de Christo cap. 4. (c) Tom. X. sermon. 146. de Tempore.*

brauchet werden. Denn da stehet erstlich / daß Christus ἐν μορφῇ, in Gottes / oder Göttlicher Gestalt gewesen / welches alsobald durch das τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ erkläret wird Phil. II, 6. Wer will nun sagen / daß hier das Wort μορφῇ habe die Bedeutung einer äußerlichen Gestalt / die nicht zum Wesen selbst gehöret. Wiederum / wenn in dem nachfolgenden 7. vers. stehet / daß Christus habe μορφὴν τῆς δούλης angenommen / so ist die Meynung / er habe recht wie ein Knecht für uns gearbeitet / und unsere Last getragen / und sich bis zum Tode / ja zum Tode des Creuzes geniedriget / welches warlich eine solche äußerliche Gestalt nicht gewesen / noch von dem Apostel durch das Wort μορφὴν ausgedrucket wird. At vero μορφὴν hoc etiam in loco immediate & præcise non significare ipsam Dei essentiam, sed externum ejus statum, & demonstrationem gloriosam, erudite ostendit D. Feuerbornius. (a) Nec minore id sedulitate, *Celeberrimus Gedanensium Theologus, Bücherus*, (b) vel sola oppositæ μορφῆς τῆς δούλης consideratione confecit. Cum enim Christus evacuasse sese forma Dei, servi autem formam sumpsisset, tum vero exaltatum hanc quoque deposuisse, legatur, quis nisi *tot deliriorum Hamaxarius Petersenius* dixerit, quod forma Dei, vel τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ ipsamet essentiam divinam, forma vero servi ipsam naturam humanam significet? Num ipsa sese Deitate evacuavit Servator, cum formam servi indueret? aut num ipsam humanitatem exuit, cum formam servi deponeret? quid jam fiet de unione personali in utroque statu? Qui passus fuerit Θεῶν Ἰσῶπος, si cum evacuatione formæ Dei ipsam Deitatem deposuit? Qui sedebit ad dextram

D 2

Patris

(a) *Fasc. III. Disp. II. 00. p. 388. f.* (b) *Wider den unbeschnittenen Rabbi. p. 41.*

Patris Θεάνθρωπος, si cum forma servi ipsam humanitatem abjecit? Perseveramus igitur in sententia, & μορφὴν τῆς Θεῆ h. l. non ipsam Dei *substantiam*, etsi eam connotari, & supponi, facile demus, sed statum quendam *extraessentialem* significare contendimus. Quod ipsum cognata vocabula & affinia ostendunt. Nam *Rom. II, 20. & 2. Tim. III, 5.* μόρφωσις non formam *substantialem*, sed *accidentalem*, speciem, ac simulacrum externum significat. Quando enim & Judæi μόρφωσιν τῆς γνώσεως in lege: & hæretici μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας habere dicuntur, hoc ipsum docetur, quod & Judæi, etiamsi legem se scire jactent, & hæretici, licet pietatem præ se ferant, nihilominus, nec illi legem vere teneant, nec hi solidam pietatem præstent, ac Deum sincere colant, sed potius illi *specietenus* coram hominibus de lege disputent: hi modestam piamque vitam agant. Nec minus σύμμορφος *Rom. VIII, 29. Phil. III, 21.* & συμμορφῶσαι, *Phil. III, 20.* conformitatem quandam, *non ratione substantiæ*, neque enim hoc pacto, vel imagini filii Dei, vel morti Christi conformes fieri possumus, *sed accidentium & qualitatum* involvit. Itaque & simplex μορφῶσαι, & compositum μεταμορφῶσαι, quod ipsum legitur *Matth. XVII, 2.* non significat, *quoad ipsam præcise substantiam formari, sed certo modo alterari.* Neque enim Christus in monte aliam *substantiam* assumpsit, sed pridem assumptæ aliam *faciem* externam, speciemque ad tempus superinduxit.

§. X. Quod si rem accurate putamus, τὸ μεταμορφῶσαι geminum invehit conceptum: *Terminum a quo: Terminum ad quem: formam, quæ deponitur: formam, quæ induitur.* Uti enim in exitiabili primi hominis μεταμορφῶσαι

Φῶσει

Φώσῃ & amittebatur imago Dei, ad quam conditus erat initio, & recipiebatur imago Diaboli, cujus se infidiis circumveniri passus fuerat; ita & in salutari exiit ratio nostra, conditioque corrupta, induitur autem nova & melior, imagini Christi conformis. Nimirum postquam concreatam nobis justitiam per lapsum amisimus, in locum imaginis divinæ, quæ refulgebat in homine primo, velut in speculo, succesit simulacrum quoddam, priori per omnia contrarium, & adversum. Mentem occupavit caligo quedam & cæcitas, ita, ut animalis homo non modo non capiat τὰ τῆ πνεύματος, sed & ne quidem intelligere possit. 1. Cor. II, 14. In voluntate regnat horribilis a Deo aversio, adversus legem contumacia, effrenis cupiditatum tumultus. Omnis enim cogitatio cordis humani, & omne ejus figmentum tantum pronum est ad malum, ab adolescentia, omni tempore. In appetitu inferiore datur perpetua adversus superiorem rebellio, ita, ut licet mens videat, probetque meliora, nihilominus homo impetu cupiditatis abreptus, deteriora sequatur. Hinc fæda imago in homine, Satanæ, quam Deo, similior. Graphice illam depingit Apostolus Rom. III. a v. 12. usque 19. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agunt. Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Non est timor DEI ante oculos eorum. Hæc vero perdita & profligata imago est exuenda per beatam illam, quam Christianis tribuit Apostolus, μεταμύσῃ.

§. XI. Quacum vero deponenda illa facies, & forma est commutanda? aut *quis est Terminus ad quem salutaris illius μεταμορφώσεως?* Respondet Apostolus: *αὐτὴν τὴν εἰκόνα.* Deest in fontibus præpositio, facili supplenda negotio. *Nonnulli* subintelligunt τὸ εἶς: *alii* κατὰ. Probat *posterius*, quia h. l. non modo, quænam forma sit induenda, sed & norma, ad quam transformatio sit instituenda, proponitur. Adstipulantur *Erasmus, Cameraarius, Schmidius*, alique. Hanc enim voculam omittere, sacris profanisque Scriptoribus est familiare. Confer. *Joban. IV, 52. Matth. XIV, 24. 1. Corinth. XV, 30. Luc. XIII, 7. Hebr. V, 1. X, 23.* Quid vero τῆς εἰκόνοσ nomine significetur h. l. non eadem omnium est opinio. *Nonnulli* per eandem intelligunt *Christum*, qui sit imago Patris coæterna, & character substantiæ Patris. *Rectius* autem cum *Seb. Schmidio, Joachimo Lütkemanno*, & aliis, intelligimus *non Christum ipsum, sed Christi imaginem verbo salutari impressam, in eoque ceu speculo representatam.* Aliud enim est Dominus: aliud imago & gloria Domini. Christi proinde gloria & imago refulgens in speculo, non *Christus ipse*, h. l. τῆς εἰκόνοσ nomine insignitur. Uti enim in speculo naturali non ipse homo, sed hominis imago, conspicitur; ita & verbum non ipsam Christi *substantiam*, sed imaginem Christi, sistit. Alias falso scripsisset Apostolus: *Videmus nunc per speculum in enigmate,* 1. Cor. XIII, 12. Includitur enim εἰκὼν voce κατοπτριζόμενοι, cum, posita intuitionem in speculum, ponatur quoque imago cum nostra, tum rei a tergo & a latere collocatæ. Quicquid enim apparet in speculo, non corpus est & substantia, sed corporis, substantiæque imago. Quando igitur h. l. dicimur intueri gloriam Domini velut in spe-

spe-

speculo, ipsa vis & natura verbi subinfert, quod gloriam Domini, non quoad essentiam, & sine medio, sed gloriæ imaginem in verbo resplendentem intueamur. Ad hanc vero imaginem nos nihilominus intuendo transformamur, ita, ut *κατοπτρίζομενοι*, seu dum intuemur, ardenti nempe fiducia, & apprehensione mediatoris, & quia intuemur imaginem illam in speculo, longe aliam, quam antea, imaginem induamus, formam nempe imagini divinæ conformem. Quemadmodum enim speculum non modo radios a corpore versus illud sparsos recipit, sed & receptos reflectendo reddit, & oculi pupilla non modo oblatam imaginem recipit, sed & receptam exactissime repræsentat, & qua omnes sui partes, utut minutim, sistit; ita & verbum Dei non modo imaginem Christi gloriosam impressam habet, sed & eandem versus nos spargit, & nos in eandem transformat. Israelitæ faciem Mosis splendentem ne intueri quidem poterant, tantum abest, ut eadem ipsis fuerit adaptata. Nos vero & *δόξαν τῆς κυρίας* velut in speculo intuemur, & ad eandem transfiguramur. *Hieronymus* ad illud de ovibus Jacobi *Genes. XXX, 40.* præclare commentatus: (a) *Tales, inquit, fœtus concipiebant, quales umbras arietum, & bircorum, desuper ascendentium, in aquarum speculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis varius erat imaginum color.* Tanta vis erat imaginis in aquis, ceu speculo, conspectæ, & tenacius impressæ. Quid mirum, si ad imaginem CHRISTI in verbi speculo accuratissime repræsentatam mutemur? Illa enim *εἰκὼν* non inanis est, aut omnis virtutis expers, sed potius efficacissima, quæque adeo nostram

(a) *In Hebr. Tradit.*

stram & mentem & voluntatem, similem sibi reddit, eo-
que ipso opponitur faciei Mosaicæ, *tantum lucenti*. Nar-
cissum Poetæ fingunt, amore ac desiderio suæ in aquis
conspectæ imaginis ita captum esse, ut, cum, nullam po-
tundæ talis formæ sibi spem reliquam esse, intelligeret,
sui ipsius desiderio tandem paulatim contabuerit, ac Deo-
rum misericordia denique in florem sui nominis con-
versus fuerit. Nos ubi in limpidissimis fontibus Israe-
lis, velut in speculo, gloriosam Christi imaginem stu-
diosius intuemur, tanto ejus amore ac desiderio inflam-
mamur, ut quicquid carnis in nobis superest, sensim
paulatimque abeat, quasique contabescat. Nam, quem-
admodum Moses, intuens Dominum in speculo Symbo-
lari, claritatem contraxit in facie, & specietenus a se-
ipso diversus esse cœpit; sic multo magis aliam nos for-
mam figuramque induimus, *κατοπτρίζομενοι*, seu vera cor-
dis fiducia contemplati imaginem J. Christi in speculo
verbali Evangelico. Lex equidem pariter ostendit no-
bis imaginem Dei, sed non dat facultatem eidem affi-
milandi; Evangelium vero non solum exhibet nobis
gloriosam & claram Domini faciem, sed etiam vires
ingenerat, eandem sapientia & sanctimonia exprimendi.
Quo pacto simul commendatur ab Apostolo Dei ver-
bum, ceu medium, per quod transfigurari ad gloriam
possumus. Quisquis enim recusat τὸ κατοπτρίζεσθαι, vel
intuitionem per *speculum* verbi in *regno gratiæ*, is nec ad
illam transmutabitur in hac vita, adeoque excidet intui-
tione Dei *a facie ad faciem*, in altera vita, & regno *gloriæ*.

§. XII. Sic igitur ad imaginem Domini resplende-
scentem in verbo, transformamur, & quidem *αὐτὴν τὴν
εἰκόνα*, ad eandem imaginem. Seb. Schmidius l. c. probabi-
lius

lius censet, si τὸ αὐτὴν referatur ad πάντες, ita ut Apostoli sententia sit: Omnes promiscue Christianos *eandem*, non *diversam* imaginem recuperare. Utut vero speciosa sit isthæc opinio, vero tamen propior, & textui, ac scopo Apostoli convenientior videtur, per quam τὸ αὐτὴν refertur ad *imaginem in speculo representatam*, ac visam. Neque enim est constitutum Apostolo docere, quod *non ad aliam*, atque aliam imaginem transfigurentur fideles, sed quod Christiani multo sint in N. T. quam Judæi in veteri, beatiore. Hos enim vidisse quidem radios in facie Mosis, seu δόξαν: at vero ne ausos quidem fuisse accedere propius, tantum abesse: quod ad *eandem cum Mose claritatem & gloriam aspirarint*. Christianos contra non modo resecta facie radiantem in Evangelio Christi faciem videre, sed & similem virtute Spiritus S. per verbum operantis videre. Favet sententiæ adducta μεταμορφώσεως *causa*. Provocat enim *ad Spiritum Dominum*, eoque indicat, fieri non posse, quin ad eandem cum Domino imaginem aspiremus, cum transmutatio illa non aliunde sit, quam a Domini illius Spiritu, speculum illud velut animantis, dirigentis & applicantis. Dixeris: *Quomodo vero credentes possunt transfigurari ad eandem Domini imaginem, relucentem in verbo Evangelii, cum eadem sit infinita & modis omnibus perfecta?* Respondemus: Non est de essentia Ectypi, aut imaginis expressæ, ut omnes perfectiones exempli & typi comprehendat: sufficit, si qualicumque imitatione, vel umbraculo illud referat. Sic γνῶσις Dei, & eorum, quæ sunt τὰ τῆς Θεῆς, in homine renato, dicitur γνῶσις κατ' εἰκόνα τῆς Θεῆς Col. III, 10. Deducitur igitur a Deo, tanquam ab exemplo. Neque tamen *hic datur equalitas omnimoda* ob incapacitatem subjecti, & infinitatem exempli; *sed aliqualis & incitata*, ita ut a divina cognitione non minus

E

diffe-

differat, quam hominis in speculo apparens imago, ab ipsa faciei substantia. Sic igitur *inter imaginem Domini in Speculo Evangelii apparentem, ad quam transformamur, & inter imaginem a nobis receptam, per quam transformamur, non absoluta quaedam convenientia, sed umbratilis imitatio est, vel, ut Scholastici loquuntur, similitudo non univocationis, sed representationis.*

§. XIII. Inde porro *MODUS* nostrae μεταμορφώσεως fluit, siquidem transmutamur ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν. Vocem δόξα alii per *claritatem*, per *gloriam* alii exponunt. Quæ varietas interpretandi, observante Erasmo (a) nonnunquam ansam errandi Latinis expositoribus præbet, dum aliquid quiddam a Paulo dici putant, *claritatem* & *gloriam*, quum apud illum eadem sit vox. Vulgatus, qui alioqui hanc vocem per *gloriam* reddidit, nostro in oraculo per *claritatem* exposuit, quod quidem sine omni bona ratione fecisse Schmidio (b) videtur. Nihilominus Vulgatum secuti sunt Cornelius a Lapide & alii. Nostrates fere transferunt: *De gloria in gloriam*. Quæ vox quid sibi velit h. l. & ex superioribus quodammodo constat, & a Seb. Schmidio (c) perapte exponitur: Est, inquit, *gloria Christi, juxta quam transformamur, quam supra diximus sanctitatem, scientiam, bonitatem, justitiam ejus. Est imago juxta istam Christi gloriam in nobis expressa etiam gloria. Ergo in iisdem consistet etiam, in quibus gloria Christi b. e. in sanctitate, scientia, bonitate, justitia. Nam quemadmodum facies Mosaica erat δόξα, quoniam ex intuitu δόξης τῆς Θεῆς erat contracta & ascita; ita & restituta in nobis imago Dei scientia, sanctitas & justitia dicitur δόξα & gloria h. l. quia ad gloriam Dei, seu scientiam, sanctitatem & justitiam in verbo ceu speculo refulgentem expressa est. Ceterum transformamur*

(a) Annot. in b. l. pag. 552. (b) l. c. Part. I. c. XIV. pag. 273.
(c) l. c. pag. 279.

mur a gloria ad gloriam, i. e. per gradus & successive. Id enim sibi vult in Scripturis hæc ratio loquendi, utpote cum Psaltes Sacerdotum Doctorumque sacrorum felicitatem descripturus, eandem ex eo cognosci indicat, quod מַחֲלֵי מַחֲלֵי, victoriam post victoriam sint deportaturi. *Psal. LXXXIV, 8.* & cum Paulus Justitiam Christi imputatam fide & obtineri & retineri insinuaturus, eandem patefieri dicit ἐκ πίστεως εἰς πίσιν, ex fide in fidem *Rom. I, 17.* vel *cap. VI, 19.* continuatam Romanorum malitiam reprehensurus, eos progressos esse dicit τῆ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν. (a) Sic etiam h. l. dicimur transformari a gloria ad gloriam, i. e. ita, ut majorem subinde gloriam consequamur. Uti enim Moses eam claritatem faciei, qua refulsit deinceps, primo congressus cum Domino momento non obtinuit, sed per gradus & successive: ita & nos intuentes faciem J. C. in speculo, non ad eandem illam in momento perfecte transformamur, sed ita, ut unus perfectionis gradus post alterum sequatur. Præclare *Hunnius ad b. l. Renovamur,* inquit, *ad illius imaginem, quæ de gloria in gloriam b. e. novis subinde incrementis indies se clariorem reddit.* Nimirum crescimus indies sapientia & sanctitate, & radii a facie J. C. in Evangelio ad nos reflectentes velut sensim paulatimque multiplicantur. Mosen fingunt *Ebræorum Magistri* ideo velasse faciem, ne lucem illam, dum paulatim abolescebat, intuerentur, & observarent, vel ut *R. Aben-Esra* scribit: *ne qui forte Israëlitarum putarent Mosis dignitatem imminutam, si luce illa intus evanescente pristina ei vultus forma rediret.* Eandem opinionem, quo eam, pro more, in altiore sensum flectat, tangere Paulum existimat *Alexand. Morus.* (b) Nostro judicio nihil opus est *Ebræorum*

E 2

pro-

(a) Vid. plura in *Glass. Phil. S. L. III. Tr. VI, de præpositione p. m. 753.* (b) In *Notis ad b. l. p. 371.*

probare sententiam, quod Moses evanescente indies claritate faciei ad pristinum vultus sui speciem sensim redierit, cum de illo taceat Scriptura. Sufficit Mosen fuisse mortuum, adeoque claritatem faciei expirasse, abolitamque fuisse. Hoc ipso enim clare satis constat, claritati Mosaicæ abolitæ recte opponi gloriam Christianam semper continuandam, nunquam abolendam. Itaque nos transformari dicit de gloria in gloriam b. e. lumine perseverante atque adeo crescente, opposito luci temporaria vultus Mosaicæ, quæ non perduravit, Symbolum quippe splendidum foederis illius veterascentis & tendentis εἰς ἁ. Φανισμὸν Hebr. VIII, 13. Verba sunt Mori l. c. Christiani enim oculis fidei intuentes in speculum Christi, & ad hujus transformati faciem non amittunt radios, sed cumulant & multiplicant, tenduntque a gloria ad gloriam in regno gratiæ, quando ab elementis transeunt ad ἔξω Ebr. V. ult. a lacte ad cibum 1. Cor. III, 2. a rudimentis ad perfectionem Ebr. VI, 1. Transformantur a gloria ad gloriam, quando e pueris fiunt adulti: e simplicibus Φρόνιμοι: ex incipientibus Magistri. 1. Cor. X, 15. XIV, 20. Eph. IV, 14. Ebr. V, 10. Transformantur a gloria ad gloriam, quando in ipsa etiam renovatione subministrant in fide sua virtutem, in virtute vero scientiam, in scientia vero temperantiam, in temperantia patientiam, rursus in patientia pietatem, in pietate fraternam charitatem, in fraternam vero charitate dilectionem. 2. Petr. I, 6. 7. Quando quæcumque vera sunt, quæcumque honesta, quæcumque iusta, quæcumque pura, quæcumque accommodata, quæcumque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus est, hæc cogitant, quæque & didicerunt, & acceperunt, & audiverunt, & viderunt a fidelibus doctoribus, hæc faciunt. Phil. IV, 8. 9. Ita transformantur a gloria ad gloriam in regno gratiæ, magis transformandi in regno gloriæ, ubi non amplius visuri sunt per Speculum in enigmate, sed a facie ad faciem. Nam & prophetia abole-

bun-

buntur, & lingua cessabunt, & scientia abolebitur. Ex parte hic cognoscimus, ex parte prophetamus. Ast ubi venerit, quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur. 1. Cor. XIII, 10, 11, 12. Nondum enim apparuit, quid erimus. Scimus autem, quod cum apparuerit, similes ei erimus. Videbimus enim Deum, sicuti est. 1. Job. III, 2. Audiamus, quæ in aureolo suo de Morte ac vita æterna, Libro in nostrum oraculum (a) fit commentatus Chytraeus: In vita æterna primum, penitus remoto velo ignorationis Dei, & densissimarum tenebrarum, quibus in hac vita circumsepti sumus, gloriosissimam faciem Domini Dei Zebaoth, æterni Patris & Filii ipsius Domini nostri J. Christi, & Spiritus S. lucem, essentiam, bonitatem, sapientiam, justitiam, omnipotentiam, veritatem & amorem imprimis, ac misericordiam erga miserum genus humanum, plus quam paternam, in clara & illustri luce relectam, & oculis beatorum subjectam, a facie ad faciem intuentes, in eandem imaginem, ad quam initio conditi eramus, integre & perfecte transformabimur, simili luce, experite omnis caliginis, sapientia sine errore, justitia sine omni peccato, letitia sine omni moerore, & vita sine morte, qualis in ipso Deo, palam in nobis habitante & luente fulget, complebimur & de gloria seu luce fidei, in gloriam seu claritatem visionis æternæ transferemur. Hactenus ille.

§. XIV. Satis multa de modo: Videamus deinceps de PRINCIPIO, quasique fonte hujus Metamorphoseos. Transformamur enim κατὰ μέρος ἀπὸ τοῦ Πνεύματος Κυρίου, tanquam a Domino Spiritu. Τὸ κατὰ μέρος aliquando similitudinem notat ut Rom. IV, 6. XII, 4. 1. Cor. XII, 12. 2. Cor. III, 13. 1. Thess. IV, 5. aliquando paritatem & equalitatem, ut 2. Cor. I, 14. VIII, 11. 1. Thess. III, 6. 12. Ebr. IV, 2. V, 4. & denique veritatem, ut 1. Thess. II, 11. quo significatu & nostro in oraculo fungitur. Hoc enim (nempe quod in speculo gloriam agnoscimus, & subinde in agnitione crescimus) vere

E 3

NB

(a) pag. 159.

NB. vere fit virtute Spiritus S. scribit Selneccerus. (a) Nec multum abludit Cornel. a Lapide: (b) Vox tanquam, inquit, redundat Hebraismo: vel potius, cum Chrysofostomo & Ambrosio, significat causam congruam & dignam tantæ transformationis, quasi dicat tanquam, i. e. sicut decet Spiritum S. nos transformare. Causa igitur & principium beatæ μεταμορφώσεως est Κύριος Πνεῦμα. Tertullianus (c) legit: Domino Spirituum, in numero plurium, sed contra consensum codicum & fontium. Vox autem Κύριος h. l. non creaturam aliquam, etsi his non raro tribuitur in Scripturis, sed creatorem, Deumque ipsum notat, secundum regulam Theologorum: Ubicunque nomen Κυρίῳ in N. T. absolute, & proprie usurpatur, in singulari, sine conditionibus restringentibus, ibi divinum, eminentissimum, & absolutissimum Dominium intelligitur, quod soli Deo convenit. Tribuitur ergo Patri Math. XXII, 44. Filio 1. Cor. XI, 23. Spiritui S. 2. Cor. III, 17. Τὸ πνεῦμα pariter rebus, & creatis & increatis, naturalibus & supernaturalibus competit. Et quando de Deo enuntiatur vel ἁπλοῶς & essentialiter, ut Job. IV, 24. vel etiam ὑποστατικῶς & personaliter, ut Rom. VIII, 14. & sæpius alias S. in literis usurpatur. Tertia enim Deitatis persona πνεῦμα & Spiritus dicitur partim ob immaterialitatem & insensibilitatem, partim ob τρόπον ὑπάξεως s. æternam ineffabilemque processio- nem a Patre & Filio per spirationem. De priori scribit B. Chemnitius. (d) Spiritus S. dicitur πνεῦμα, Spiritus. Et ratio appellationis videtur ab ipso Christo explicata esse Job. III, 8. Sicut enim exhalationes, quæ venti appellantur, substantiæ tam subtiles sunt, ut conspectum nostrum effugiant: vis tamen & efficacia earum magna est, quæ quia sentitur, inde cognoscitur: ita Spiritus S. sensibus non percipitur: sed efficacia

(a) Comment. in b. l. p. 876. (b) l. c. pag. 351. (c) L. V. adv. Marcionem c. XI. f. 475. edit. Rigalt. (d) LL. Theol. Part. I. Loc. de Spiritu S. c. II. p. m. 230.

operationis intelligitur & cognoscitur. De posteriori audiamus B. Carpzovium Sen. (a) Singulariter, inquit, & ratione personæ, seu quoad personæ characteris singularitatem, quo a Patre & Filio contradistinguitur, tertia persona Spiritus S. dicitur. Cumque character hic sit duplex: internus unus, externus vero alter, uterque hac appellatione significatur. Internus est spiratio s. processio a Patre. Non enim sui ipsius Spiritus est, sed Patris Matth. X, 20. & Filii Gal. IV, 6. Rom. VIII, 9. ab iisdem procedens, a Patre quidem, ut fonte totius SS. Trinitatis, a Filio autem, qui per nativitatem æternam jus habet mittendi Spiritum S. & quæ Spiritus S. loquitur, non a se loquitur, sed a Christo, & ea profert, quæ Christi sunt, & quæ a Christo accepit, Job. XVI, 13. 14. 15. &c. Hactenus ille. Hæc igitur tertia Deitatis persona h. l. intelligitur, quod probamus (1) ex eo, quod Spiritus S. opponitur h. l. Christo, qui Dominus appellatur: (2) ex eo, quod hic Metamorphosis sive transformatio ipsi tribuitur. Metamorphosis enim est Synonymum renovationis, renovatio autem sanctificationis. Quæ quoniam, omnium Theologorum consensu, peculiariter, appropriative & specialiter Spiritui S. adscribitur, 2. Theff. II, 13. conf. Tit. III, 5. Rom. I, 4. Gal. V, 22. itaque Spiritus S. persona est intelligenda in quo etiam omnes ferme Commentatores consentiunt, ut Beda (b) Selneccerus (c) alique. (d) Thomas Aquinas in b. l. dicit: addendum est aliquid, velut liberati, aut absoluti, aut simile quippiam, quasi dicat utpote, qui liberati sumus a Domini Spiritu. Sed nulla necessitas urget, ut aliquid interferatur, siquidem sensus commodus ac plenus exurgit: in eandem imaginem transformamur

(a) Isagog. in LL. Symbol. p. m. 1033. (b) In b. l. Tom. III. OO. f. 136. (c) In b. l. p. 876. (d) Hunnius in b. l. p. 86. Melanchthon. in Explic. Evangel. Fer. I. Pentec. Tom. III. OO. p. 88. Rungius l. c. p. 672. Erasmus annot. in b. l. p. 557. Cornel. a Lapide in b. l. p. 351.

mamur a gloria in gloriam tanquam b. e. vere a Domino, qui Spiritus est. Trifariam alioqui hæc verba accipi possunt apud Græcos, prout nempe τὸ ἀπὸ vel huic, vel alteri, vel etiam utrique vendicatur. Quando enim immediate respicit τὸ νοῦν, sensus resultat: tanquam a Domino Spiritus: Ubi præpositio respicit τὸ πνεύματος; sententia emergit: tanquam a Domini Spiritu: si denique ἀπὸ ad utrumque referatur, sensus redierit: tanquam a Domino Spiritu, vel a Domino, qui est Spiritus. Primam sibi lectionem probari scribit Erasmus (a) quam tamen interpretationem, tacito licet Erasmi nomine, negat sibi placere, Estius: Nusquam, inquit, legitur Christus Dominus esse Spiritus S. & sermo non parum offendit; imo simpliciter falsus est, & hæreticus, & pugnans cum eo, quod dixit, Dominum esse Spiritum: Mediam sequuntur Lutherus, Chytræus de vita & morte l. c. & alii. Nos amplectimur tertiam, quam confirmat (1) scopus consiliumque Apostoli, qui non modo ad cuius imaginem, sed & a quo, nempe a Spiritu S., transformemur, docere vult. (2) Huic sententiæ respondet illud, quod paulo ante dictum ab Apostolo fuerat c. 17. Spiritum esse Dominum, ut adeo hæc per appositionem, ut Grammatici loquuntur, dicta fuisse recte existimemus. Spiritus enim S. quasi prior interne sedet in pectore, & dum intuemur vera fide gloriam Christi in speculo Verbi, secundum illam ideam etiam animum nostrum transformat. Quibus sic disputatis concludimus, quod Metamorphosis Christiana sit actio Spiritus S. qua hominem vera fiducia intuentem in speculum verbi, ibique Christi faciem, i. e. sapientiam, justitiam, & sanctitatem observantem, ad eandem illam imaginem ceu archetypum aliquod, ita immutat, ut, abolita veteris ignorantie & malitie forma, cognitionem in mente, & charitatem in voluntate produ-

(a) Annot. in b. l. p. 557.

producat, & magis magisque perpoliat & amplificet, usque dum perditam per lapsum imaginem Dei in vita aeterna perfecte recuperet.

§. XV. Adjiciamus **CONSECTARIA ET USUS**, si non omnes, saltem potiores:

I. *Intuemur gloriam Domini ἀνακαλυμμένῳ προσώπῳ, reiecta facie: Ergo corda nostra natura sua velut velamine quodam sunt cooperta*, h. e. laboramus omnes naturali quadam coecitate, & ineptitudine ad intelligenda mysteria divina. Quid enim alioqui opus esset revelatione, si per naturam nostri ad res coelestes cognoscendas paterent oculi?

II. *Ad hos autem aperiendos, & procurandam illuminationem nihil conferunt vires humane, aut lumen naturale*, secus ac *Fanaticis* communiter est persuasum, qui hominem illuminari ab intra, vel per debitam luminis naturalis applicationem contendunt. Pridem *Tb. Münzerus* scripsit: Wann sich der Mensch verstünde auf den Vorwitz des natürlichen Lichtes / er würde ohne Zweifel nicht viel Behülff suchen mit gestohlener Schrift = = = sondern er würde bald empfinden die Würckung Göttliches Wortes aus seinen Herzen quellen. *Job. IV.* Wie izund unsere Gelehrten thun / die verwickeln die Natur mit der Gnade ohn allen Unterscheid. Sie verhindern dem Wort seinen Gang / *Pf. 118.* welcher von Abgrund der Seelen herkömmt / als *Moses* saget: *Devt. XXX.* Das Wort ist nicht weit von dir / sondern in deinem Herzen. (a) Ab hoc, ut alia plura, hæc didicit *Wigelius*: (b) Ich dancke Gott / inquit, daß ich im Lichte der Natur das grösste und höchste Geheimniß erkenne / nemlich den Tod und das Leben. *Consentiunt Quakeri apud Celeberr. Dn. D. Schelwigium*: (c) Siehe allezeit mit dem Auge des

F

Gemüt:

(a) Vid. *Ej.* Auslegung des Unterscheids des Propheten *Danielis* Lit. B. 3. (b) *In Dial. de vero Christian. p. m. 100.* (c) *P. II. Quaker. confut. p. 16.*

Gemüthes auf das Licht Christi in deinem Gewissen. Solches / wo du ihm in Gelassenheit dein selbst getreue Folge leistest / wird deine Finsterniß ins Licht *transmutiren*. Ne quid de Sanctulis & Indifferentistis recentioribus addam. Quod ipsum tamen falsum esse facile demonstratur e textu. Non enim dicitur, quod nobis nos ipsi detrahamus velamina: sed quod πρόσωπα nostra, sint ἀνακεκαλυμμένα ἀπὸ κυρίου πνεύματος, Ergo ad retegendam faciem mentis suæ, non plus contulerit homo, quam Tobias ad recipiendum visum, admittendo collyrium, vel coecus ille non amovendo sputum a Domino sanctificatum, Jo. IX, 6. 7.

III. *Scriptura S. clara est, & perspicua.* Dicitur enim h. l. κάτοπτρον, seu speculum. In hoc autem clare, perspicueque apparent omnia. Alias dicitur *lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris.* Ps. CXIX, 105. *lucerna in loco caliginoso lucens* 2. Petr. I, 21. Et quemadmodum vel puer aliquis, & simplicior in speculum intuens, quænam & qualis sua sit facies, venusta, an invenusta, pura, an maculata, exacte cognoscere potest; ita etiam S. Scriptura adeo perspicua est, & facilis, ut vel ἀπὸ τῆς βεβήσεως possit intelligi. 2. Tim. III, 15. Neque vero illius perspicuitati officit, quod homines aliquando illius non assequuntur sententiam. Hoc enim non Scripturæ, *quæ legitur*, sed hominum, *a quibus legitur*, vitio est tribuendum. *Judeis* non conversis *lex* erat difficilis cognitu, & obscura: *Christianis* credentibus facilis & perspicua, quia nempe illi non modo *natura* cœci erant, sed *studio* etiam oculos claudebant: hi vero aperiri sibi eos per verbum patiebantur. Uti enim facies Mosis non desinebat clarere, etsi ab Israelitis, qui ferre illam non poterant, ob interjectum velamen, claritas minime videbatur; ita etiam speculum Sacræ Scripturæ non desinit esse

esse

esse perspicuum, etsi ab hominibus vel cæcis, vel coniventibus, imago in eodem apparens non cognoscitur.

IV. *Scriptura S. est νοτίοπτερον. Ergo est perfecta & sufficiens ad informationem tum fidei, tum morum.* Uti enim speculum totam hominis faciem, qua omnia lineamenta exactissime repræsentat; ita & speculum verbi Dei gloriosam ejus faciem, qua essentiam, voluntatem & beneficia, imprimisque Christi Servatoris personam, naturas, officium, statum, & reliqua perfectissime exprimit, & homini cognoscenda proponit. Faceffat igitur *Pontificiorum verbum non-scriptum*, quod pari pietatis affectu, cum verbo scripto recipiendum esse *Synod. Tridentina Sess. IV. c. I.* contendit: Faceffat *male-suada Calvinianorum ratio*: *Entusiastarum* denique & *Fanaticorum immediata revelatio, vel etiam experientia*, & ut ipsi loquuntur, *sensatio*, de qua *Münzerus, Fanaticorum Patriarcha, in Concion. ad c. II. Dan. (a)* *Paulus*, inquit, *Rom. X.* redet von innerlichen Wort: Zuhörern in dem Abgrund der Seelen durch die Offenbarung Gottes. Und welcher Mensch dieses nicht gewahr / und empfindlich worden ist / durch das lebendige Gezeugniß Gottes *Rom. VIII.* der weiß von Gott nichts gründliches zu sagen / wann er gleich 100000. Bibeln hätte gefressen. Daraus mag ein jeglicher wohl ermessen / wie fern die Welt noch vom Christen-Glauben sey etc. Et *Anonymus in Libello* von der nothwendigen Vollendung der Heiligung entweder bey Leibes-Leben / oder nach dem Tode: (b) Die Erfahrung / inquit, gehet über alles Wissen und Meynen / wer meynet / muß immer zweifeln / ob sichs also verhält: Die Erfahrung aber macht gewiß etc. Sed nos habemus βεβαιότερον λόγον, quavis, etiam divina, apparitione superiorem, cui recte facimus attendentes, tanquam lucerna in loco caliginoso lucenti 2. *Petr. I, 19.* Omnis enim Scriptura

F 2

est

(a) *Alsted. anno 1524. habita lit. B. 3.* (b) *Anno 1704. p. 47.*

est Θεόπνευστος, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionem, qua est in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus. 2. Tim. III, 16.

V. Κατοπτριζόμενοι μεταμορφούμεθα: Intuentes in speculum transformamur. Ergo illuminatio purgationem a peccatis, & renovationem praecedit. Negant hoc communiter Mystici, quorum omnis de Deo doctrina triplici via continetur, Purgationis, Illuminationis, Unionis. Vid. Auctor Theol. Teuton. (a) Hugo de Palma, vel Abrab. Franckenbergius, (b) Anton. Souquet. (c) Tremuli & reliqua Fanaticorum turba, qui quidem hoc a Platonice didicerunt, quod ad oculum ostendit Thomasius, probus ille, in schediasmate historico, nec omnino diffitetur Spenerus in praefatione ad Tab. bodosoph. Nos praeter textum urgemus, quod gentes ambulare dicuntur in vanitate mentis suae, ob caecitatem cordis ipsorum Epb. IV, 17. 18. Neque vero homo ante a peccatis purgari potest, quam constet, a quibus, quaque de causa, & quibus mediis sit purgandus. Itaque in Articulo Symboli Apostolici III. recte docemus & confitemur, quod Spiritus S. nos per Evangelium vocarit, illuminarit, & in recta fide sanctificarit & conseruarit. Vid. Celeberr. Dn. D. Schelwigius (d) & Excellentiss. Bücherus. (e)

VI. Dicimur b. l. κατοπτριζόμενοι, & clare omnia velut in speculo intuentes. Absit igitur, nescio quas tenebras, occultasque vias cum Mysticis, Quietistis & Sanctulis amemus. De ipso Dionysio fatetur Scotus in praef. ad eundem: Opus ejus valde anfractuosum est, longeque a modernis sensibus remotum, multis indium, paucisque apertum, non solum propter antiquitatem, sed etiam propter caelestium altitudinem mysterio-
rum

- (a) C. XII. in fin. p. m. 27. (b) In Comp. Theol. Mystic. (c) In via vite aeternae p. 2. 8. & alias. (d) In Synopsi Art. XVIII. p. 126. (e) In Rathm. rediv. p. 176. 179. 200. sq.

rum, quæ ipse superna revelante gratia didicit, & velamine remoto, arcana Theologia, divina se ducente manu, Sanctuarium Dei ingressus est. Et Arnoldus (a) quod de Asceticis scriptis olim Phorius judicavit, ea nempe non esse perspicua, id de pure mysticis NB. magis concedendum esse fatetur. Huc spectant verba Pietistæ Argentoratensis: Es kommt mir immer meine Bezeugung gegen der Liebe noch zu heuchlerisch vor/ und wolle der innerste Grund noch keine gänzliche Lauterkeit zeigen. Dazu aber müssen sonderlich die finstern Wege dienen/ da der Herr nach der Tiefe seiner Weisheit/ wie er gerne in dunkeln wohnet Exod. XX, 21. am besten würcken mag in der stillen Verborgenheit &c. Alius his verbis salutavit superstitionis sociam: Jesus der innere Führer in aller Dunkel: und Verborgenheit::: verkläre sich auch in deinem Grunde. Vid. Summe - Reverendi Dn. Zentgrafi historischer Bericht von der Pietist- und Philadelphischen Gesellschaft zu Straßburg. (b)

VII. ΚΑΤΟΠΤΡΙΖΟΜΕΝΟΙ ΜΕΤΑΜΟΡΦΩΘΕΙΣ. Ergo qui non intuetur hoc speculum, non transformatur: qui non transformatur, is nec salvatur. Non-Christiani non sunt ΚΑΤΟΠΤΡΙΖΟΜΕΝΟΙ: Ergo nec transformantur, nec salvantur. Putidum ergo est, & impium dicere, quod quilibet in quolibet religione salvari possit, quam opinionem fanatici omnes, & figillatim Fridlibius, ex instituto defendunt. Quæ enim Religio non est ad ΚΑΤΟΠΤΡΟΝ verbi Dei concepta, illa homines nec salvat. Hæc enim, nempe quæ leguntur in Bibliis, scripta sunt, ut credamus, & ut per fidem vitam habeamus in nomine ejus Job. XX, 31.

IIIX. Intuemur gloriam Domini in speculo. Ergo non illuminamur ab intra, sive per medium aliquod internum, verbo & Sacramentis contradistinctum, quod imaginem & rationem nominat Theophrastus ap. Arnoldum (c) Christum in no-

F 3

bis,

(a) In Hist. & descript. Tb. Myst. p.74. (b) p.231. (c) T. II. f.312.

313.

bis, & unguentum internum, (a) itemque internum Spiritus testimonium, Weigelius (b) Lumen internum, Ant. Burignonia, (c) & Frankenbergius, (d) semen & lumen insitum, Barclajus, (e) verbum insitum & naturale, Böhmiſta: verbum incarnatum, Schwenckfeldius; (f) vocem Dei in nobis, Franckenbergius l. c. verbi aeterni suggestionem, consilium, monitum, responsum, Hoburgius, (g) Spiritum vero omnes communiter appellant. Nos Textum urgemus, atque id unum adjicimus, non modo Paulum missum fuisse ad aperiendos Gentilium oculos per verbum Act. XXIII, 18. sed & Christum ipsum illuminasse oculos discipulorum per Scripturas Luc. XXIV, 44. seq. Spiritus autem accipitur ex auditu verbi Gal. III, 2. quo admissio ingeneratur fides, per quam induimus Christum l. c. v. 17.

IX. Transformamur ad imaginem Christi apparentem in Speculo. Ergo restituta in nobis imago Dei non est aliquid substantiale, sed accidentale. Fanatici somniant in nobis novam quandam substantiam per regenerationem produci, sigillatim Guil. Postellus de ultima nativitate Mediatoris, eundemque secuti Val. Weigelius, & Ezechiel Meth, de quibus videantur Thummius (h) & Weberus. (i) Anonymus von Nothwendigkeit der Reinigung: (k) Es wird / inquit, durch die neue Geburt ein geistlicher Leib gezeuget / der an sich vollkommen sey / und ewig bestehen soll &c. Fallor? an ex Arndio hæc sumsit, qui (l) docet, wie Christus durch den H. Geist im Glauben von Maria leiblich empfangen und gebohren / also müsse er auch von uns geistlich empfangen und gebohren

- (a) Weigel. Part. II. Postill. p. 148. (b) ib. p. 61. (c) Im Buche vom Licht der Welt c. 3. (d) In Parad. 7. (e) In Apol. 1b. 5. & 6. (f) In Tr. de verbo Dei c. Museum p. 65. B. (g) Vom Predigt: Amt. p. 530. (h) In Impiet. Weigel. p. 83. (i) In brevi censura Stiefelianismi c. V. p. 84. sq. (k) Anno 170. in pref. 2. (l) L. III. 2. veri Christianismi & alias.

werden/ in uns wachsen und zunehmen &c. Cujus auctoritatem Jo. Banier, Petersenius & alii sequuntur. Quicquid vero fit hujus, certum est, hanc opinionem repugnare Scripturæ, quæ nos quidem in Christo & per Christum renatos, nullibi vero Christum in nobis natum aut incarnatum docet. Bene & sapienter hac de re B. Calovius noster: (a) *Metamorphosis Scripturæ non est substantialis, ut substantia hominis convertatur in substantiam DEI per ἀποθέωσιν, sed importat REFORMATIONEM ACCIDENTALEM hominis ad imaginationem Dei.* Obverti quidem solet illud Gal. IV, 19. *Filioli mei, quos denuo cum dolore parturio, donec in vobis μορφώθῃ ὁ Χριστός.* Sed salva res est. Formatur enim in nobis Christus, quando imago ejus in Scriptura nobis ob oculos depicta tam efficaciter, & tali cum effectu imprimitur, ut vera in eundem fiducia, cum exclusione operum priorum collocetur. Vid. Feuerborn. in OO. p. 386. Aliud vero est Christum in nobis formari: aliud, nos secundum Christi imaginem transformari. Etiam Christus in monte μεταμορφώθῃ, non novam substantiam assumendo, sed pridem assumptam novis qualitatibus ornando.

X. *Transformamur a gloria ad gloriam: Ergo hac gloria est imperfecta & finita.* Infinitum enim accessionem, & incrementa non patitur. Bene Origenes: (a) *In Lege, inquit, Moyses solam faciem habet glorificatam, neque manus ejus habent gloriam, imo potius & contumeliam: sed neque pedes - - denique solvere jubetur calceamentum suum, sic nulla erat gloria in pedibus ejus. - - - Totus tamen apparuit in gloria, colloquens cum Jesu Matth. XVII.* Uti ergo Moyses hac in vita qua corporis partem: in altera, qua totum corpus inclaruit; ita & nostra

(a) *In Synopsi Controv. pag. 657. (b) Homil. XII. in cap. Exod. XXXIV.*

nostra transformatio in regno *gratia* incipit: in *gloria* regno perficitur. Quod denuo contra Fanaticos, qua veteres, qua recentiores, monemus. Vid. omnino *Weberus*. (a)

XI. *Gloria regni Gratia abit in gloriam regni gloria. Equisquis non fuerit ad imaginem Dei transformatus in hac vita, ille nec plenam gloriam ingredietur in altera.* Adjicimus postremo illud *Origenis*: (b) *Videamus, ne non solum cum Moyses legitur, sed & cum Paulus legitur, velamen sit positum super cor nostrum. Et manifeste, si negligenter audimus, si nihil studii ad eruditionem, & intelligentiam conferimus, non solum Legis & Prophetarum scriptura, sed & Apostolorum & Evangeliorum grandi nobis velamine tegitur. Ego autem vereor, ne per nimiam negligentiam & stoliditatem cordis non solum velata sint nobis divina volumina, sed & signata: ut si detur in manus hominis ne scientis literas, dicat, quia nescio literas: si detur in manus hominis scientis literas, dicat, quia signatus est. Unde ostenditur, non solum studium nobis adhibendum esse ad discendas literas sacras, verum & supplicandum Domino, & diebus ac noctibus obsecrandum, ut veniat agnus de tribu Juda, & ipse accipiens librum signatum dignetur aperire.*

(a) *In censura Stiefelianismi c. VII. p. 150. sq.* (b) *l. c. f. 100. b.*

F I N I S.

